

nus movent Deum moraliter, dicuntur instrumenta moralia.

DXCIX. Ad primam confirmationem respondetur, quod sacramenta nostra, et sunt causæ morales in quantum signa, et alio modo quam signa; et in unoquoque differunt a sacramentis veteribus in hoc, quia physice causant, quod non faciebant illa; in ratione vero signi, quia sunt signa rei jam factæ, et demonstrativa et rememorativa, cum tamen sacramenta vetera potius essent prognostica, et nullo modo rememorativa. Unde et D. Thomas in præsentī articulo non negat causalitatem moralem significationi; sed dicit eam non excedere rationem signi, ut denarius plumbeus, etc.

DC. Ad secundam confirmationem pro prima parte sequelæ, negatur quod sacramenta legis veteris non differrent a nostris, non solum ratione causalitatis physicæ, sed etiam ratione causalitatis moralis. In nostris enim sacramentis est de facto applicata virtus, et valor meritorum Christi, et continent pretium jam exhibitum, et moralem illius æstimationem habent ex applicatione facta talis valoris; ac proinde sunt morales causæ respectu Christi ut hominis, et passionis ejus. At vero sacramenta antiqua solum erant signa practica Dei protestativa fidei Christi, et promissionis patribus factæ; non tamen habebant applicatum valorem meritorum Christi, nec æstimationem pretii. Unde concursus moralis illorum sacramentorum erat veluti per accidens, et tamquam conditio sine qua non, quia scilicet decreverat Deus, ut qui rite illa susciperet, consequeretur gratiam in fide, quam per illa protestabat; non tamen ipsa sacramenta moralem virtutem sibi conjunctam continebant, et valorem quem offerrent

Deo ad dandam gratiam, quæ est causalitas moralis per se. Unde erant causæ morales tamquam signa deferentia promissionem Dei in eorum protestatione, non tamquam offerentia pretium et merita, ob quæ daretur gratia; et ideo causalitas moralis illorum erat veluti remota, et tamquam conditionis sine qua non, adhuc in genere morali; causalitas autem moralis nostrorum sacramentorum est per se, et virtuosa, ac valorem continens moralem, videlicet meritum Christi. Non tamen dicendum est, quod habebant illa sacramenta sub fidejussione promissionem meritorum Christi, quia Christus Dominus, cum nondum venisset, nondum promissionem suorum (etiam sub fidejussione) eis alligaverat.

DCI. Ad secundam partem sequelæ dicitur, quod causa, quæ est physica in uno genere, potest esse sine qua non in alio, et sic sacramenta secundum quod signa, habent se ut conditio sine qua non respectu sui ut causæ physicæ.

DCII. Sexto objici possunt dicta patrum, præsertim auctoris sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum, ubi ait: « Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. » Hieronymus etiam in quarto capite Isaia: « Ex hoc, inquit, discimus quod homo solum aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum. » Et similiter Augustinus in xv de Trinitate, capite xvi, de discipulis Christi ait: « Orabant ut veniret Spiritus sanctus in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant. »

DCIII. Respondetur patres, in quibus hæc et similes locutiones inveniuntur, solum velle docere, quod Deus sit principalis auctor

gratiæ, et quod homines vel elementa ex se non habent vim dandi illam; non tamen negant, quod ex communicatione virtutis Dei, et subordinatione ad eam, etiam homines et sacramenta non possint instrumentaliter causare gratiam, non propria virtute, sed Dei.

DCIV. Cætera argumenta, quæ possunt hic fieri de virtute illa et motione, quid sit; et quomodo subjectetur in re corporea; quomodo sine contactu agat sacramentum; quomodo res corporales ad rem spiritualem possint elevari, et similia quæ in Nugno et Cabrera ponuntur, a nobis supra dubio septimo et octavo posita et soluta sunt.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum, et donorum?

I. Notandi sunt in titulo articuli illi duo termini, gratia sacramentalis, et ly gratia virtutum et donorum. Per gratiam sacramentalem intelligit S. Thomas gratuitum beneficium, quod specialiter per sacramenta confertur secundum specialem eorum institutionem, et ad speciales eorum effectus. Constat enim sacramenta distincta pro distinctis effectibus instituta esse (saltem formaliter loquendo) alias si pro eodem omnino instituerentur, frustra essent diversa sacramenta in ratione sacramenti, sicut baptismus confert gratiam ut regenerativam, confirmatio ut firmativam et roborativam, eucharistia ut cibantem, etc. Hoc ergo quod est gratia sub formalitate regenerativæ, cibantis, etc. est gratia sacramentalis. Per gratiam autem donorum et virtutum intelligit S. Thomas gratiam gratum facien-

tem, quæ est similitudo divini esse, ex qua fluunt virtutes supernaturales, et dona Spiritus sancti. Unde S. Thomas in corpore hanc explicans comparisonem, ait: « Quod gratia perficit essentiam animæ, in quantum participat similitudinem divini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt potentiæ, sic a gratia virtutes et dona. » Loquitur ergo de gratia habituali sanctificante, et super hanc dicit addere gratiam sacramentalem. Igitur sensus quæstionis est, an gratia ut ad sacramentales effectus specialiter ordinata, addat aliquid super gratiam ipsam sanctificantem, et virtutes ac dona ab ea dimanantia, ut explicat hic Cajetanus, et omnes Thomistæ, et colligitur ex textu.

II. Conclusio est affirmativa; quam ut ostendat S. Thomas, assumit distinctionem, quæ est inter gratiam, et virtutes ac dona ab illa dimanantes, ut ex ea probet, quod etiam gratia sacramentalis ab utrisque distingui, eisque aliquid addere deberet. Gratia ergo habitualis secundum se perficit essentiam animæ, et in ea ponit participationem esse divini; virtutes autem ac dona sunt perfectiones fluentes ab ipsa gratia, ut per eas perficiantur potentiæ animæ supernaturaliter, sicut per gratiam essentia animæ perficitur. Et ideo sicut ab essentia rei fluunt potentiæ in ordine ad actus, ita a gratia fluunt virtutes ac dona in ordine ad actus supernaturales potentiarum. Subsumit autem S. Thomas: « Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus in vita christiana, præter actus potentiarum animæ, ut baptismus ad regenerandum hominem in Christo, eucharistia ad cibandum, etc. ergo sicut virtutes addunt supra gratiam, quia ordinantur ad actus potentiarum supernaturaliter elevandos, ita sacramentalis gratia, quia

ordinatur ad speciales effectus præter actus potentiarum, debet addere divinum auxilium ut perficiantur tales effectus; et sic patet quod sacramentalis gratia addit super gratiam virtutum et donorum.

III. In solutione ad primum adverte distinctionem illam S. Thomæ, quod gratia virtutum et donorum sufficiens est ad generalem ordinationem actuum animæ; ad speciales tamen effectus, qui sunt in vita christiana, requiritur gratia ultra virtutes et dona, quæ est sacramentalis; quæ distinctio consistit in hoc, quod ordinatio actuum animæ potest sumi vel absolute in ordine supernaturali, sive per Christum, sive non; sive ut specialiter ad Christum pertinens et ad ejus gubernationem, sive non; et hoc modo se habent dona et virtutes et gratia, quæ ad ordinem supernaturalem absolute necessaria sunt in quacumque consideratione; et hæc vocatur generalis ordinatio. Potest etiam sumi ordinatio actuum animæ secundum quod specialiter in christiana vita, et in lege ac gubernatione Christi, et conjunctione ad ipsum homines perficiuntur; et sic indigent sacramentali gratia, quæ est participatio Dominicæ passionis, ut S. Thomas dicit xxvii de veritate, art. v ad duodecesimum.

IV. In solutione ad secundum nota dictum S. Thomæ, quod vitia et peccata, quantum ad præsens et futurum sufficienter excluduntur per virtutes et dona, quatenus per illa impeditur homo ad peccandum; quantum autem ad præterita peccata, quæ transeunt actu et manent reatu, indiget homo remedio quod specialiter datur per sacramenta; ubi non vult dicere S. Thomas, quod peccata præterita seu commissa non destruuntur per virtutes ac dona, quæ illis contraria sunt; alias enim non diceret, quod quan-

tum ad præsens excluduntur per virtutes, id est, non manent de præsentibus, quando virtutes infunduntur, et sic excluduntur; sed quia speciales effectus, seu defectus relinquuntur ex peccatis, qui specialiter retardant hominem, aut obstant ad perfectionem vitæ christianæ, aut ad finem ejus, qui est beatitudo; ideo oportet quod specialiter illi curentur per sacramenta christianæ legis; et hi defectus sunt id præsertim, quod non sufficienter excluditur per virtutes et dona, cum illa tantum habeant excludere habitus vitiosos sibi contrarios, et peccati deformitatem, et similiter in posterum præservare; speciales vero defectus obstantes perfectioni et vitæ christianæ, non nisi ratione sacramentorum habent tollere.

V. In solutione ad tertium perspicere bene quod dicit S. Thomas, scilicet: « Gratiam sacramentalem se habere ad gratiam communiter dictam, sicut species ad genus: » ubi per gratiam communiter dictam, non intelligit communem in prædicando, sed in causando: vel sicut commune protestativum respectu partium potestativarum, ut anima respectu suarum potentiarum. Sicut enim gratia non est communis in prædicando respectu virtutum et donorum, sic nec respectu gratiarum sacramentalium. Vel potius dicitur gratia communis, quia est communis effectus omnium sacramentorum, et per omnia datur, ut dicit S. Thomas in iv, dist. vii, quæst. ii, art. ii, quæstiunc. iii, vel denique, quia gratia secundum effectum justificandi est communis omni statui, scilicet innocentiae, legis naturæ, scriptæ et gratiæ. Similiter quando dicit S. Thomas, quod se habet gratia sacramentalis ad gratiam communiter, sicut ratio speciei ad genus, comparatio non

stat quantum ad id, quod argumentum postulabat. Argumentum enim intendebat probare, quod si gratia sacramentalis aliquid adderet ad habitualem, æquivoce esset gratia, quia in formis quælibet additio aut diminutio solvit speciem. Respondet autem S. Thomas, quod non omnis additio solvit speciem, seu rationem formæ, cui additur, quia additio ad aliquid quod se habet ut commune, servat naturam rei communis, non variat, et super illam addit; sicut species addit ad genus, et non variat naturam generis, ut homo respectu animalis. Unde animal non dicitur æquivoce de animali ut sic, et de animali quod est homo. In hoc itaque se habet gratia sacramentalis ad gratiam habitualem, sicut species ad genus, et ut minus commune ad magis commune, non quia essentialis ejus species sit, sed quia additio ejus ad gratiam habitualem non solvit speciem et naturam gratiæ, sed supponit.

DUBIUM UNICUM.

AN GRATIA SACRAMENTALIS ADDAT ALIQUID REALE INTRINSECUM ET PERMANENS IN ANIMA, ET IN GRATIA HABITUALI; AN VERO SOLUM ALIQUID ACTUALE PER MODUM TRANSEUNTIS, QUALE EST AUXILIUM DIVINUM ACTUALE.

Conclusio est affirmativa.

VI. Addere aliquid per modum permanentis, non tamquam res a re distinctum a gratia et a virtutibus, sed formaliter solum.

VII. Pro intelligentia hujus est advertendum, quod in hac parte duo sunt certa apud theologos; unum vero dubitationem habet. Certum est primo singula sacra-

menta habere pro effectu distinctas gratias sacramentales, tum, quia habent distinctos fines ad quos ordinantur; tum, quia habent distinctam significationem, et consequenter distinctam causalitatem; tum denique, quia habent distinctam necessitatem: quæ omnia innuunt diversos effectus. Nam si esset omnino idem effectus omnium, non oporteret distingui taliter sacramenta, sed solum esset distinctio eorum in cæremonia externa, quæ est valde materialis diversitas. Secundo certum est, diversitatem effectuum non consistere in sola diversitate primæ aut secundæ gratiæ, intentionis aut remissionis ejus, quia ad hujusmodi distinctionem non essent necessaria distincta sacramenta, sed idem sufficeret sæpius repetitum, vel saltem duo, quorum primo posset acquiri gratia et deinde augeri, aut amissa recuperari. Quod si remissam infunderet, per repetitionem ejus augeri posset. Igitur ad has solum differentias in effectibus non erat necessarium diversa sacramenta institui; sed unum, aut duo essent satis. Quare oportet quod gratiæ sacramentales, seu proprii effectus sacramentorum, aliquo modo distinguantur et inter se, et a gratia habituali; et quod hæc diversitas non consistat solum in magis aut minus, aut in eo quod per repetitionem ejusdem facile potest consequi.

VIII. Illud ergo manet dubium, an id in quo differt gratia sacramentalis ab habituali sit distinctum ab ea, et a virtutibus ac donis tamquam res a re, vel tamquam modus a re; et an sit aliquid permanens, vel solum actuale auxilium.

IX. Et dicimus, quod non est aliquid distinctum tamquam res a re, seu novus habitus, nec solum aliquid actuale per modum transeun-

tis datum a Deo, sed aliquid formaliter distinctum a gratia habituali et virtutum, et permanenter receptum in anima. Et quidem quod sit aliquid permanens in anima, videtur clare colligi ex S. Thoma in primis in isto articulo, ubi inquit: « Gratiam sacramentalem dari in remedium aliquorum defectuum, qui ex peccatis præteritis causantur, secundum quod peccata transeunt actu, et remanent reatu. » Defectus autem illi sunt quid permanens in anima: ergo oportet quod tollantur per aliquid permanens, et non per modum transeuntis se habens, et per aliquid intrinsecum ei, qui habet defectum, et indiget remedio. Et infra quæst. LXXII, art. VII ad tertium ait, quod: « Gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter dictam, aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum: » ergo oportet quod sit aliquid permanenter receptum, et intrinsece in anima: alias non daretur ut effectivum, sed ut motio. Et excluditur ex verbis D. Thomæ solutio magistri Soto, dicentis quod per gratiam communiter dictam accipitur aliquid commune ad gratiam habitualem et ad auxilium Dei, scilicet pro dono gratuito ut sic; evidenter enim dicit S. Thomas, quod addit super gratiam gratum facientem communiter dictam; gratia autem gratum faciens non abstrahit ab habituali et actuali.

X. Præterea in IV, dist. VII, quæst. II, art. II, quæst. II ad secundum, explicans distinctionem inter gratiam habitualement virtutum ac donorum, et gratiam sacramentalem, dicit: « Quod gratia sacramentalis perficit removendo primo et principaliter defectum ex peccato consequentem; sed gratia virtutum et donorum perficit inclinando

in bonum virtutis et doni: » sicut gratia confirmationis removendo infirmitatis morbum; fortitudinis autem donum et virtus, inclinando ad bonum quod est proprium virtuti vel dono. Item dicit S. Thomas hic in articulo, quod: « Effectus sacramentalis est aliquid speciale præter actus potentiarum: » ergo auxilium divinum, quod addit gratia ut sacramentalis, non est actualis concursus solum, hic enim est aliquid ad actus potentiarum requisitum: ergo oportet quod gratia sacramentalis sit aliquid intrinsecum et permanens in anima, alias non removeret morbum et defectum, qui intrinsecus est et permanens in ipsa. Et XXVII de veritate, art. V ad duodecesimum ait: « Quod defectus peccati, contra quos sacramenta instituuntur, latentes sunt; unde sacramentorum effectus proprium nomen non habent. » Quæ omnia non possunt salvari sine aliquo permanente intrinseco.

XI. Nec sufficit responsio Cajetani super istum articulum, quod licet in libris sententiarum aliter expressisset D. Thomas, tamen cum in præsentis articulo dicat quod sacramentalis gratia addit super gratiam virtutum et donorum auxilium divinum, et apud D. Thomam divinum auxilium non sumitur pro habituali, sed pro actuali dono, ut in prima secundæ, quæst. CXI patet, ideo ex hoc loco debet dici, quod sacramentalis gratia solum addit aliquid actuale, extendens gratiam donorum et virtutum ad aliquem specialem effectum. Hæc, inquam, responsio non valet; nam expresse in hoc articulo, solutione ad secundum ait S. Thomas, quod: « Gratia sacramentalis datur in remedium quoad præterita peccata, quæ transeunt actu, et permanent reatu: » ergo oportet quod remedium per-

manens extinguat, tamquam gratia sacramentalis illud, quod permanet reatu, seu permanenter sequitur ex reatu: ergo non retractat hic quod in libris sententiarum, et quæstionibus disputatis dixit. Nec per divinum auxilium intelligere potest S. Thomas aliquam divinam motionem ad agendum, sed aliquid permanens, sanans, seu reparans defectus peccati, cum connotatione ad auxilium, ut speciales effectus operetur ad speciales fines ordinatos. Nec apud S. Thomam novum est, per ly auxilium intelligere donum habituale: nam in prima secundæ, quæst. CIX, art. VII inquit S. Thomas, an possit homo resurgere a peccato sine auxilio gratiæ, et respondet negative; intelligit autem per auxilium gratiæ, tam donum habituale quam motionem internam, ut explicat in calce corporis articuli dicens: « Et ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo a peccato resurgat, et quantum ad habituale donum, et quantum ad interiorem Dei motionem. »

XII. Et præterea, quia ut ipse Cajetanus fatetur hic, et infra quæst. LXXII, art. VII ad tertium essentia gratiæ sacramentalis non est distinctæ speciei a gratia sanctificante communiter dicta, sed ejus essentiam retinens addit aliquid effectivum specialis effectus: ergo impossibile est quod gratia sacramentalis sit actuale auxilium; nam actuale auxilium, cum sit actualis concursus Dei, non habet eandem essentiam et speciem, quam gratia habitualis. Est enim distincta entitas, etiam physice, auxilium et concursus Dei, a potentia et habitu recipiente hoc auxilium. Ut ergo essentia gratiæ sacramentalis non distinguatur specie ab essentia gratiæ habitualis, et donorum ac virtutum oportet, quod sit aliquid permanens,

perficiens ipsam gratiam, non tamquam res seu habitus distinctus, sed ut modus, aut formalitas.

XIII. Ratio autem hujus est, quia gratiæ sacramentales in quantum sacramentales, ordinantur vel ad diversos defectus reparandos in homine, vel ad diversos effectus supernaturales, et pertinentes ad vitam christianam, efficiendos ab ipso homine; ad utrumque autem requiritur plus quam concursus actualis, quia ad defectus reparandos, cum ipsi sint intrinsece in homine et permanenter, non solum transeunter, necessario requiritur aliquid permanens. Ad effectus vero efficiendos ab ipso homine non sufficit actualis concursus Dei, nisi supponat in homine formam, seu perfectionem cui accommodatur ille concursus, quia cum non sit Deus solus qui operatur, sed homo, et non operetur homo ut instrumentum, sed etiam ut causa principalis, si quidem gratia sacramentalis non datur sicut potestas ad efficiendum præcise, sed ad debite efficiendum, homo autem debite non efficit, nisi per actus voluntatis et intellectus: inde est quod oportet dari ei gratiam sacramentalem, ut operetur ad modum causæ principalis.

XIV. Et deinde, quia operatur homo per illam gratiam secundum quod vivit vita christiana, et secundum communicationem peculiarem ex gratia Christi, hoc autem quod est habere in se vitam christianam secundum imitationem gratiæ Christi, non est solus actualis concursus, sed aliquid permanens. Adde quod per gratiam sacramentalem operatur homo ad libitum, quando vult: ergo debet aliquid permanens esse in homine, quo operetur ut vult, et non solum aliquid per modum transeuntis, sicut prophetia, quæ ideo non est in ma-